



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione Massellini clerici Episcopi Maguntiae, cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

factusque nouitius in eodem cœnobio. Quod cùm cognouisset prædictus sacerdos, Hemmenrode venit, & Geuardum uisitauit, & quid de illo uiderit, omnibus nouitijs recitauit. Hæc mihi dicta sunt a nonno Frederico monacho, qui tunc præsens fuit, cùm uir sanctus ista perorauit. Idem Geuardus postea in tantum profecit, ut domino Hermannō primo uallis sancti Petri Abbati succederet, & non modicum per eum locus ipse, tam in religione quàm in possessionibus, proficeret. Quod si tibi minùs suffecerint hæc noua exempla, referam tibi etiam de uerbis sancti Bernardi testimonia satis uera. APOLLONIVS: quæ nondum legi, audire delectat.

## CAPVT VIII.

## CÆSARIVS.

**D**VM ingressus fuisset aliquando regnum Germania sanctus Bernardus Abbas, pacem reformaturus inter Lotharium regem Romanorum, & prædecessoris eius Henrici nepotes, Maguntinorum Episcopus, Albertus nomine, Clericu suum Masselinum, sic ei nomen erat, obuiam ei misit; qui cùm se missum diceret a domino suo ad seruiendum ei, paulisper eū intuitus uir Dei dixit: Alius Dominus te misit ad seruiendū sibi. Et cùm ille ad uerba sancti expauesceret, se asserēs ab Episcopo missum, respōdit beatus Bernardus: Falleris, maior Dominus misit te Christus. Tunc primū intelligens, quorsum sermonem vibraret, ait: Puras me monachum uelle fieri? abfit à me, nec cogitauit, nec ascendit in cor meum. Nilominus tamen illo reuente, famulus Dei affirmabat omnino fieri debere, non quod ipse de se cogitauerit, sed quod Deus de illo disposuit. Qui in eodem conuersus itinere, ualedicens seculo, factus est monachus in Claravalle. Ecce ubi in isto uoluntas conuertendi, in quo sola operata est uoluntas Spiritus sancti? APOLLONIVS: Placet quod dicis, sed dic quæso exemplum de hoc, quod quidam è conuerso conuertantur, solo instinctu spiritus maligni. CÆSARIVS: exemplum præstò est.

## CAPVT